

Letter 596: 14 February 1536, Strasbourg, Capito to Marguerite [de Lodieuse]

This is the dedicatory letter to Capito's *Precationes christiana ad imitationem Psalmorum compositae & aliae quaedam, interiores pietatis affectus exprimentes* (Strasbourg: [W. Rihel], 1536) ff. [a1v]–a4v. The book was popular and was reprinted several times in the sixteenth century. An English translation by Richard Taverner appeared without Capito's letter under the title *An epitome of the Psalmes, or briefe meditacions upon the same, with diverse other moste christian prayers* (N.p., 1539). For a description of the *Precationes*, see P. Althaus, *Forschungen zur evangelischen Gebetsliteratur* (Gütersloh, 1927), 16, 30–1. A modern edition of Capito's letter can be found in Jean Rott and Olivier Millet, 'Miettes historiques strasbourgeoises,' in *Actes du Colloque Guillaume Farel: Neuchâtel 29 septembre–1<sup>er</sup> octobre 1980*, edited by Pierre Barthel et al. (Geneva et al., 1983), vol. 1, 274–5.

Ad N. Christo deditam foeminam V.F. Capito.

Gratiam et pacem in Domino, inter nobiles gemmas nobilissima Margarita. Rihelio calcographo visum est has preces latine edere, partim e Germanico versas, partim Latine scriptas hominibus precandi peritis. Illas tibi inscribere libuit, ut esset quod ad spiritum tuum adhibeas, tum excitandum, tum explorandum. Nam sunt ad venam Davidis, iuxta energiam Christi pleraeque. Spiritus est qui unus orat in homine, neque humana industria, divinum illum usum quisquam assequetur. Nihilosecius sic ordinavit Dominus, ut meditando verbum suum, talem ad precandum spiritum ipse initio conferat, et collatum pariter corroboret. Deinde ut unius meditationes iuxta verbum, aliis eodem affectu ac simil tempore praeditis aptissime congruat, atque ad orandum propter similitudinem ac paritatem conditionis vehementer animet incendatque.

Ex quo fit, quod huiusmodi rivuli piorum et afflictorum animorum qui hac periculosa tempestate ad Dominum confugerunt. Davidicis fontibus vel verius plenis illius fluvii saepenumero arida cordis uberius irrigent, quia proprius captui hoc seculo precantium quadrant. Sunt enim recentes experientiae, eorum, qui dum Christi crucem tolerarent, illius opem imploratam impetraverunt. Non enim sola es, quae hostium violentiam tuleris, et si hoc peculiare habes, quod molliter educata, iucundissimo pariter et felicissimo coniugio copulata, facultates omnes, maritum gratiosissimum, liberos teneros et infantulum una recens natum unicam spem generis, Christo posthabens relicta patria, ignotae tibi linguae nationem exul adieris.

Verum hi nostri ut natalibus et fortuna plerique minores sunt, animi tamen tolerantiam in periculis non minorem praestiterunt. Sunt enim non paucae in carcere et custodiis a quodam conscriptae, dum Christi testis in horas putavit ad supplicium se rapiendum. Sunt et nonnullae scriptae ab aliis, quo tempore, quovis carcere duriora conscientiae tormenta ferebant. Ex quo mihi fit verisimile, quod veteres tuos affectus, legendo suaviter agnosces, ubi desiderio tuorum ardens, cum Christo ut pariter illis perfrui liceat, orasti. Aut dum tristi nuncio, etsi vano accepto, qui affirmabat matrem, maritum, liberos, cognatos, omnem familiam, gladio hostili, ac persecutoris cecidisse, plenissime te Christo commendasti, multa cum tranquillitate, tum spe rerum meliorum, vel potius fide de paterna providentia.

Illud tu illo tempore sanctissime: Domine scio, apud te patrem, omnes capilli capitis mei numerati sunt etc. Itaque resignati animi preces, has esse plerasque comprobabis, nam dum simili articulo necessitatis deprehensi essent, Domino se suaque omnia non sine acerbissimo agone conscientiae consecrarunt. Illud sane mors ipsa est, sibi ac suis praemortuis ceu superstitem agere. Et quia ut suum quodque tempus habet, sic inter multiplices affectus precantium, temporis

ratio observanda videtur, iccirco in indicem curavi colligendum, omnia, ut pro animi sui motu, quod subgliscentem spiritus vim proprie extimulet, lector facilius inveniat. Etenim afficimur aliter dum corpori periculum, aliter dum animo discrimen impendet, aliter dum conscientiae terroribus mens impletur, aliter dum exuberat animus spirituali solatio, et ita de caeteris affectibus. Sunt enim precandi formulae, doctrinae etiam, ut interim agnoscamus quales esse deberemus, recolendo illas accuratius. In quem usum tota pariter scriptura valeat. Habent et illud commodi, ut promissionem Dei fere praetendant, quo fiat oratio fidei. Alioqui carnis futura, si absque verbo tum promittentis tum iubentis in incertum, undis cogitationum iactaretur. Nam qui me sperarem exaudiendum, sine huiusmodi verbo Domini promittentis: “Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id fiet vobis.” Egregia promissio est, cuius generis multae extant, quibus in spem erigor. Sed haec: “Petite et accipietis;” “Invoca me in die tribulationis;” “Semper orate non deficientes,” mandatum sunt, cui parendum nobis.

Quod animum subdit ad thronum gratiae supplices subeundi. Nam sine mandato, quis auderet in oculos divinae maiestatis, tam sordida mente sese ingenere? Ecquis speraret, se impetraturum absque promissione, qui suam indignitatem contemplatus fuerit? Ergo magnus huius libelli usus tibi praesertim erit, quae es utrumque tempus experta, et monitoris ope cares, cui tamen admonitione multa iam opus esset, utpote redditae laetioribus rebus, ne cum tranquillitate, confidentia carnis noxia, et contemptus Dei blasphemus irrepat. Admonebit autem munusculum ex me hospite profectum ad insistendum fortiter precibus ac meditationibus, qua consuetudine spiritus excitatus docebit te omnem veritatem, hortabitur te ad officium, te instigabit eritque iam tibi verissima tum exhortatio, tum doctrina ad cultum Novi Testamenti, ut in periculo mundi pernitiouse blandientis. Dominum sedula invoces, et ab illius contagio divinitus conservata habeas illi gratiam tanquam patri coelesti. Per Dominum nostrum Iesum Christum in Spiritu Sancto, Deo trino et uno, qui te, maritum, liberos, familiam, omnem in Christo sodalitatem, et nos, omnesque pios ubique locorum felicissime tueatur. Amen. Argentinae, 14 Februarii anno 1536.